



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput IV. Gregorius IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



ut probat Smitheus in scribis Anglia; lib. 4. quotid. cap. 16.

cap. 6.

k. C.] Cælestini videlicet III.

l. In loco publico.] L. 2. §. si Princeps, ff. ne quid in loco publico; quam illustrat Forner. lib. ... rer.

m. Sub prætextu.] ut probavi in cap. 21. de re judic.

n. Scandalo dimittenda.] Ut probat latè Salgado de retent. Bullar. p. 1. cap. 4.

## C A P U T III.

Honorius III. Decano, Præposito majoris Ecclesie, & Magistro Michaeli Canonico S. Nicolai<sup>a</sup> Ambian.

**S**ignificantibus Canonicis<sup>b</sup> Sanctæ Opportunæ Parisien. nobis innotuit, quod cum super eo, quod Nicolaus Ruffuscivis Parisien. in quadam platea Ecclesie suæ, infra claustrum ipsorum sita, eis prohibentibus in suum ædificabat præjudicium & gravamen, deposuerunt coram Officiali Parisiensi, & c. Archidiacono quæstionem, eis offerentibus in continenti probare præjudicium, & plateam ad suam Ecclesiam pertinere; ac petentibus insuper, non obstante quod dictus N. cautionem de demoliendo opere offererat, ædificium prohiberi. Et quia idem Officialis interloquendo decrevit, probationes eorum admittendas esse, ac ab opere interim quiescendum, idem N. ad Senon. Curiam provocavit. Sed cum Senon. Officialis Nicolai prædicti cognatus eadem interlocutoriâ pro suâ dumtaxat voluntatis arbitrio revocatâ decrevit ad opus sub cautione de demoliendo ipso, non admittis eorum probationibus, procedendum, prædicti Canonici nostram audientiam<sup>d</sup> appellarunt: unde petebant, ut ipsorum probationes recipi, ac prohiberi ædificium mandarem. Ideoque disc. v. per Apost. scripta mandamus, quatenus si est ita, revocato in statum debitum quidquid post appellationem hujusmodi temerè inveneritis attentatum, super hoc, quod justum fuerit, appellatione postpositâ statuatis, facientes, &c.

## N O T Æ.

1. **A**mbian.] Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc titul. cap. unic. ex qua transcribo textum hunc. De Ambianensi Diœcesi nonnulla adduxi in cap. 3. de frigid.

b. Sanctæ Opportunæ.] Ecclesia hæc est collegiata in vico Sancti Honorati Urbis Parisien. ut refert Cironius in præfenti.

2. c. Parisiensi, & Archidiacono.] In sexta collectione legitur Parisiensis Archidiaconi, & ita Offi-

cialis esset Vicarius Archidiaconi Parisiensis. Quæ lectione retentâ, quomodo in præfenti appellatio potuisset interponi ad Archiepiscopum Senonensem, omisso medio, videlicet Episcopo Parisiensi, exposui in cap. 66. de appellat.

d. Appellarunt.] Quando in judicio novi operis nuntiationis appellatio admittatur, opereturque utrumque effectum, suspensivum, & devolutivum. exponunt Lancelotus de attentat. 3. p. c. 28. à num. 44. Salgado de Regia protecl. 2. p. cap. 8. ex num. 32. ubi explicat præfentem textum.

## C A P U T IV.

Gregorius IX.

**I**S cui opus novum te nuntiasse proponis, non obstante cautione, quæ offertur ab ipso de opere destruendo, si non jure ædificatum existat, tenetur te per trium mensium spatium expectare, juris tui præjudicium probare volentem.

## N O T Æ.

1. **G**regorius IX.] Qui præfentem constitutionem edidit motu proprio, juxta principia juris civilis, ut statim dicemus.

## C O M M E N T A R I U M.

**I**n his omnibus decretalibus una, eademque docetur sententia, quæ talis est: *Ædificium constructum post novi operis nuntiationem, demoliendum est, nec audiri debet Dominus, si satisfactionem offerat, & de jure suo docere paratus sit.* Probant eam textus in l. 1. §. sed est is, l. Prator 20. §. l. l.

stipulatio 21. §. 1. ff. hoc titul. l. 3. §. si quis paratus, ff. quod vi aut clam, l. 8. titul. 32. partit. 3. Illustrant Federicus Scorus, & Duaren. ad titul. ff. de novi oper. Idem Duarenus lib. 1. disp. cap. 16. Petrus Gregor. lib. 4. synt. cap. 26. cum sequent. Donel lib. 15. comment. cap. 45. Fachineus lib. 8. controvers. cap. 44. cum sequent. Reuardus lib. 3. conject. cap. 12. Cuiacius lib. 40. Pauli ad edit. l. non solum 8. ff. hoc titul. Faber lib. 3. conject. cap. 8. & lib. 19. cap. 5. Schifordeg. ad eundem lib. 2. tract. 7. cap. 1. Robertus lib. 3. sentent. cap. 16. cum sequent. Spanochius in comment. ad hunc tit. ff. Gailius lib. 1. observ. cap. 16. Forcatul. in Neciomanc. dialog. 112. Gomez in l. 46. Tauri, ex num. 19. Merillus

1. Probat-  
tur Con-  
clusio, &  
traditur



Mirillus lib. 3. observ. cap. 20. David Argente select. in notis ad tit. hunc ff. Academia nostrae luminaria magna D. Melchior de Valent. lib. 2. illustr. tract. 1. cap. ult. & D. Ant. Pichardo in §. Summa, Instit. de interd. cap. 8. Mafius lib. 4. singul. cap. 15. & 16.

2. Conclusio errata dicitur, & probatur.

Sed in praesentem assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Et primo in eam partem, in qua asseritur, jure, vel injustitia denunciationem factam impedire aedificationem, argumentor ita. Iniquum est nuntiationi notoria injusta parere, quia jus nihil injustum patitur, l. 1. ff. de just. & jur. l. quod si Ephefi, ff. de eo quod certo loco, l. meminere 6. C. unde vi; ideo injustam nuntiationem non impedire aedificii constructionem, docetur in l. Papinianus, ff. de publiciana. Itaque eam impune contemni docetur in l. tutor 49. ff. de minor, l. si minor, C. de rescind. l. 2. C. de virorem venditionem pignori. Ergo cum justa est nuntiationis operis, non debet impediri Ecclesiae constructio. Augetur primo haec difficultas, nam publice interest Ecclesiam construi, & aedificari, ut populus in eis congregetur ad divina officia celebranda, Deumque venerandum, ut probavi in tit. de consecr. Ecclesiae. Igitur injusta nuntiatione non debet prohiberi opus ita pium. Accedit, nam in praesenti casu nuntiantes novum opus habebant interdictum uti possidentis, ut in sua possessione Ecclesiae baptismalis conservarentur, & si contra adhuc Ecclesia aedificaretur, habebant interdictum quod vi aut clam. Igitur non indigebant hoc edicto novi operis nuntiationis. Augetur tandem haec dubitandi ratio ex eo; nam si is, cui novum opus nuntiatum est, paratus sit satisfactionem pro se, & haeredibus suis praestare de eo opere suis sumptibus demoliendo, & id quod nuntiantis interest solvendo, si appareat aedificationem jus aedificandi non habuisse, remissa nuntiatione conceditur ei facultas aedificandi, l. de pupillo 5. §. si is cui nuntiatum, l. non solum 8. §. si cum possem, & §. sciendum, l. Prator 20. §. si quis paratus, §. interdum, §. deinde, §. hoc autem, l. stipulatio 21. §. si quis autem, hoc titulus. Ergo non recte in cap. penult. & final. hoc titulus. docetur etiam cautione illa oblatam non posse intra tres menses eum cui opus novum nuntiatum est, aedificare.

3. Nuntiationis quidam

Qua dubitandi ratione ira fulcrita non obstante, vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum est, nuntiare plerumque accipi pro deferre, & prodere; inde delatores criminum nuntiatores appellantur in leg. ab accusatione 6. §. nuntiatores, ff. ad Turpil. Cujac. lib. 1. observ. cap. 38. & lib. 3. cap. 3. & si nuntiare est illi aliquid deferre, l. 1. §. final. ff. de jure fisci. Unde tacitum fideicommissum dixit Paulus in l. edicto 13. §. cum ante, ff. de jure fisci: plura Brissonius de V. §. verbo Nuntiatio. In praesenti autem nuntiare idem est, ac prohibere, l. si procurator 17. ff. hoc tit. & nuntiare novum opus nihil aliud est, quam denunciare, vel prohibere, testatione adhibita ne opus novum fiat, l. si quis 6. §. urbs ejus, ff. commun. divid. l. 1. in princip. l. de pupillo 5. §. meminisse, l. Prator 20. in princip. & §. deinde, ff. hoc titulus. Petrus Gregor. lib. 4. syntag. c. 27. Duarenus lib. 1. disput. cap. 16. Donel. lib. 15. comment. cap. 45. Unde novi operis nuntiatio, testatio, denuntiatioque appellatur in dict. l. de pupillo 5. §. meminisse, l. 1. §. sed etsi, ff. quod vi aut clam. Est autem nuntiatio haec legitima prohibitio in re pra-

fenti, & immobili vicino facta, ne in opere aedificando pergat, quo nobis noceat, donec de jure aedificationis constiterit, aut praestita sit eo nomine satisfactio. In qua definitione ponitur legitima prohibitio, ut constet, non quamcunque nuntiationem sufficere, sed quae debito tempore, & loco, & a personis legitimis, ut infra dicemus. Ponitur etiam in re praesenti, ut cognoscatur nuntiationem faciendam esse in loco, ubi opus sit, seu inchoatur, dict. l. de pupillo 5. §. nuntiationem, & §. si quis forte 4. l. 1. tit. 32. part. 3. Dicitur etiam, & immobili, ut cognoscamus, non omne opus nuntiarum posse, sed quod in solo aedificatur, l. 1. §. hoc autem 6. ff. hoc titulus. dict. l. 1. pariter: & ita si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet, quamvis novum opus faciat ad hoc edictum non spectat, d. l. 1. §. 6. Nec contrarium probatur in l. si alius 7. §. notavimus, ff. quod vi aut clam. Cujus veram interpretationem tradunt Valentia ubi supra, cap. 3. Pichardus cap. 2. num. 206. Dicitur etiam vicino facta, ut sciamus nuntiationem fieri debere personae, aut operi ipso, juxta legem operis 10. legem finalem, ff. hoc titulus. quas explicat Pichardus dict. cap. 2. nu. 207. In illis verbis: Nec in novo opere, &c. comprehenditur casus hujus nuntiationis, ne videlicet vicinus opere suo, quod aedificat, nobis noceat, dict. l. de pupillo 5. §. meminisse, & §. sed si in ades: & ita per hanc nuntiationem legitime facta statim novum opus sistit, & inhibetur, l. 1. in princip. d. l. de pupillo 5. §. si quis forte. An vero hoc faciat Praetor edicto, vel interdicto suo, pro conciliatione dictae legis 1. cum §. legis Praetor 20 §. hoc interdictum, ff. eod. examinant Valentia d. cap. 1. n. 7. Muretus observat. jur. cap. 14.

4. De modis nuntiationis

Deinde sciendum est, nuntiationem novi operis tribus modis fieri posse. Primo solo verbo, quando quis extra judicium adversario denuntiat, ne quid exinde novi operis fiat. Secundo per Praetorem, jure ordinario, mediante interdicto. Tertio non verbis tantum, sed facto, videlicet per jactum lapilli, cum in opus ceptum jactatur, l. quibus 50. ff. de acquir. rer. dom. quos modos expresserunt Ulpianus in dict. l. de pupillo, §. meminisse, ibi: Meminisse autem oportebit, quotiens quis in nostro aedificatio, vel in nostrum immittere, vel projicere vult, melius esse eum per Praetorem, vel per manum, id est lapilli jactum prohibere, quam operis novi nuntiatione. Et l. 1. §. sed & si quis, ff. quod vi aut clam, ibi: Sed & si quis jactu vel minimi lapilli prohibitus facere per se veraverit facere, hunc quoque vim fecisse videri, Padius & Pomponius scribunt, eoque jure utimur: sed & si contra testationem, denuntiationemque fecerit, idem esse Cascellius, & Trebatius putant; quod verum est. Paulus in l. vi facti 20 §. prohibuit, ff. quod vi aut clam, ibi: Prohibuit autem intelligitur quolibet prohibentis actu, id est vel dicentis se prohibere, vel manum opponentis, lapillumve jactantis prohibendi gratia. Et l. 1. tit. 32. part. 3. explicant supra congesta pro illustratione conclusionis, & Corraus in rubric. ff. hoc titulus. Reuardus in l. quod iuncta 73. §. ult. ff. de R. l. Pichardus ubi supra cap. 3. per totum. Valentia dict. lib. 2. cap. 1. num. 10. Rationem autem, quare lapidis jactu nuntiatio fiat, assignat Cuiacius in l. 4. §. etsi forte, ff. si servus vindicetur. Quia lapilli jactus signum erat belli, ut apud Livium & Virgilium lib. 9. Aeneid.

lacu-



---Iaculum intorquens immisit in hostes  
Principium pugna.

Sicut & jactus chirothecæ pro duelli indictione ponitur apud Matthæum Paridem. Aliam rationem hujus nunciacionis tradit Cironius in præfenti, desumptam ex eo, quod sicut apprehendendæ possessionis nota est cespitis, vel glebæ assumptio, ut constat ex l. 2. ff. de acquir. possessi. Gellio lib. 2. noct. cap. 17. junctis traditis in cap. 2. de consuet. ita & intervertendæ, turbandæ, vel amovendæ cespitis jactura, cum scilicet jactatur lapis, vel gleba contra adversarium occupantem, vel nova parantem; ita ut novum opus, vel ædificium turbatum, & prohibitum censetur jactu lapidis, id est ruinâ, & destructione, ideoque per ruinam & jactum unius lapilli prohibitio fieri existimatur: & qui unicum lapidem ex novo opere dimoverit censetur nuntiassè novum opus, & jactus sit ut liqueat, qua parte novum opus nunciatur, & prohibetur, à quo interim sit abstinentidum, dist. l. de pupillo. §. qui nuntiat. Sed licet olim hæsitaretur, utrum in hac nunciandi forma verba desiderarentur, hodie tamen placuit, verba necessaria esse, l. 1. tit. 32. part. 3. ibi: La segunda esto mando alguna piedra en la mano, hechandola aquella labor, diciendo todas aquellas palabras, que dezimos, que debe dezir en el primer vendamiento.

Deinceps sciendum est. tantum nunciare posse novum opus, quod quis facit in solo proprio, sive inchoat facere, l. Prator, 20. hoc tit. unde si quis ædificium vetus sulciat, seu reficiat, huic nunciacioni locus non est; quia non facit opus novum, sed veteri sustinendo remedium adhibet, l. 1. §. si quis ædificium, ff. hoc tit. l. ultim. ff. de cloacis, l. 2. §. si quis quid, ff. ne quid in loco publico, l. 3. §. opus quoque, de alienat. judic. d. l. 1. partiæ.

Quia verus est, eum qui reficit, opus novum non facere, cum pristinum statum, & formam operis non mutet; sed potius corruptam restituat, l. 1. ff. de vipub. l. 3. §. reficere, ff. de iunere, actuque, l. 1. ff. de rivis. Et ita prohibitus ædificare non censetur prohibitus reficere, l. intra 5. l. omnes 11. l. nemo 13. C. de operibus public. probavi in cap. quia, de judicis. Debet autem in tali refectioe, custodiri forma antiqua ædificii, alâs si mutetur, nunciacioni locus est, l. qui lumibus 11 ff. de servitutibus, l. 3. §. reficere, ff. de iunere actuque privato, l. 1. §. si quis terrenum, l. Servitus 3. §. 1. ff. de rivis, l. final. in fine, C. de servitut. & aqua, l. 1. C. de edific. privat. Nec contrarium probat Pomponius in l. refectiois 11. ff. communia prædiorum, dum docet, posse eum, qui aquam ducit, vel deprimere rivum, vel allevare. Loquitur enim ibi Consulatus de eo, qui jure constituta servitutis aquam ducit; ideoque omnia facere potest, quæ sunt necessaria, & sine quibus uti servitute æqueductus non posset, l. si rem 10. ff. de servit. notavit Faber in ration. ad illum textum. Causæ autem, ex quibus nunciatio novi operis fit, triplices dari solent; naturalis, publica, aut imposititia. Naturalis causa est, quoties in nostro solo ædificatur ut in proprias aedes; ita appellata, quia omnia ædificia jure naturali libera sunt, & creduntur, nisi probetur, servitutem illis impositam esse, l. cum eo 9. l. inter 15. ff. de servitut. urban. l. altius 8. C. de servitut. Publica autem dicitur, quoties quis officit loco publico, aut ædificandofacit contra leges, Senatusconsultave, aut modum ædificii per ea præscriptum, l. 1. §. nunciatio fit, &

§. nuntiamus, l. 3. §. ult. cum l. sequenti. l. non solum 8. §. quod si nuntia vero, ff. hoc tit. l. 1. & 3. C. de edific. privat. l. 3. tit. 32. part. 3. Explicat eruditè Valentia ubi supra, cap. 4. Imposititia nunciacionis causa datur, si quis contra impositam prædio suo, vel alieno servitutem aliquod molitur, aliquodve opus contra servitutem facit: quo casu nunciatio hæc locum habet, l. de pupillo 5. §. sed & si, l. non solum 8. in principio, ff. hoc tit. l. inter 15. ff. de servitut. Urban. l. & si forte 6. in fin. ff. si servit. vind. l. in judicio 48. ff. famil. ercisc. l. 5. tit. 32. part. 3. & semper nunciatio fit, aut juris nostri conservandi, aut damni defendendi, aut publici juri servandi gratiâ, ut docent, & exponunt Piehardus supra cap. 4. Duarenus ad hunc tit. cap. 9. Schifordeg. lib. 2. tract. 7.

Ut ad personas, quæ opus nuntiare valent, deveniamus, sciendum est, eos nunciare posse novum opus, quorum interest illud non fieri, & qui aliquid jus in re habent, l. de pupillo 5. §. & nunciavelle, l. creditori 9. ff. hoc tit. l. unic. §. jus habes, re poss. ff. de remiss. l. inter 15. ff. de servitut. l. in judicio sumi. 47. ff. famil. ercisc. etiam si sit ratiõ servitutis, ut probat latè Valentia d. lib. 1. cap. 5. per tot. ideoque superficiesarius, emphyteuta, & similes possunt novum opus nunciare, l. in provinciali 3. ff. hoc tit. §. si ego, l. 1. ff. de superficiebus, l. final. C. de jure emphyt. quia ipsius fundi, & servitutum utilis est eis concessa vindicatio, l. in speciali 73. in fin. cum leg. sequenti, ff. d. R. V. l. 1. §. 1. ff. de superfic. Faber lib. 20. consuet. cap. 11. Item creditor qui pignori fundum accepit, novum opus nunciare valet, l. creditori 9. ff. hoc tit. l. unic. in fine, ff. de remiss. quia habens pignus possidet, ut probavi in cap. 3. ut lit non constet, & si in communi loco opus fiat, quilibet ex locis nunciare valet, l. 3. §. si in loco, ff. hoc tit. l. 4. §. ult. ff. de V. O. nisi aliter focus sit, qui ædificat. Explicat Valent. d. tract. 1. c. 6. Item tutor & curator, cum Dominio loco habeantur, l. qui fundum 7. §. si tutor, ff. pro emptore, l. tutor 27. ff. de administr. tutor. novum opus nunciare possunt, l. & si 7. in fin. ff. hoc tit. pupillus vero sine tutoris auctoritate nunciare novum opus non valet, d. l. de pupillo 5. item nunciare non possunt novum opus colonus, vel inquilinus, l. 3. §. si ego, ff. hoc tit. Item servus, d. l. de pupillo 5. §. servivo; quia quoad ea, quæ juris sunt, personam non habent, l. quod attinet 32. ff. de R. l. unde cognoscitur in casibus relatis in cap. 1. 2. & hoc tit. potuisse Canonicos, ac Clericos nunciare novum opus, ne nova Ecclesia in eorum præjudicium construeretur. Tum quia legitimam personam standi in judicio habebant; tum quia magnum præjudicium ex constructione novæ Ecclesiæ baptismalis, vel collegialis illis sequebatur.

His suppositis, ut effectus nunciacionis novi operis agnoscamus, sciendum est, post nunciacionem factam sive jure, sive injusta, sistendum esse in opere, nec ultra progredi posse ad ædificii constructionem, l. 1. in princip. l. de pupillo 5. §. si quis dist. forte vers. quod idcirco, l. non solum 8. §. sciendum, l. Prator 20. §. 1. ff. hoc tit. l. 8. tit. 32. part. 3. quia latius est ante datum damnum occurrere, quam post illud illatum remedium querere, l. final. C. in quibus causis in integ. restit. & ita per nunciacionem legitimè factam cessandum est ab opere quod perfectum injuriam, damnumque vicino inferret; & si adhuc post nunciacionem ædificatum sit opus, antè omnia demolendum, & restitutum est, propter contemptum ipsius nunciacionis;

De per. sicut qua & nunciav. re poss. in judicio sumi.

8. Difficul. ubi nunciatio.

7. Traditur ratio decidendi.



ctationis; nam cum per nunciationem juxta interdictum Prætoris cessari debuisset ab opere, qui illud adhuc perficit, in pœnam hujus contemptus cogitur illud propriis expensis destrueri. Accedit, nam nunciatio hæc habetur ad instar appellationis extrajudicialis: Lancellotus *de attentatis* 2. p. cap. 20. num. 27. & ita sicut innovata post appellationem extrajudicalem, ut attentata ante omnia revocantur, ut probavi in cap. 1. de appellat. ita ædificata post nunciationem, tanquam attentata sunt ante omnia reponenda propriis expensis: quare qui novum opus nunciat, si quid operis jam tunc factum est, in testationem referre debet, ut postea apparere possit quid ædificatum sit, l. non solum 8. §. qui opus, & §. sciendum, ff. de novi oper. nunc. uno autem casu tenetur quis pati destructionem operis, non autem propriis expensis ad demolitionem cogi; cum videlicet domino absente, & nunciationem ignorante, ab opificibus nunciatione sprete, opus perfectum est; nam tunc patientiam tantum præstat, non tamen expensas, l. competit 16. §. final. ff. quod vi aut clam.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam nunciatio operis, sive jure, sive injuriâ facta, tunc demum operis progressum impedit, cum de jure nunciationis potest dubitari; nam si compertum, exploratumque fuerit, eum qui novum opus nunciat, nunciandi jus non habere, vel propter incapacitatem personæ, veluti si servus vel pupillus sine tutoris auctoritate; vel usufructuarius domino nunciaverit, l. 2. l. de pupillo §. in princip. & §. servo, hoc titul. talis nunciatio nullum producit effectum, & per consequens opus impune perfici poterit, l. 1. §. finali, cum l. sequenti, l. de pupillo §. §. si plurimum, ff. hoc titul. Item si notorie injusta causa sit, Gaillius lib. 1. obs. cap. 16. unde Prætor, teste Ulpiano in l. 1. ff. de remiss. missam, sive remissam facit nunciationem ejus, cui jus prohibendi nullum esse apparet, ut eleganter subdit Ulpianus §. 1. dictæ legis, ea verba Prætoris ostendere, remissionem ibi demum factam, ubi nunciatio non tenet. Sic enim in Florentinis legitur in d. l. 1. ff. hoc titul. & sic legendum suadent Pichardus in §. 1. de interdicit. num. 340. Valentia tom. 2. illustr. tract. 1. cap. ult. num. 10. ex Roberto, contra Cuiacium lib. 1. obs. cap. 16. & lib. 19. cap. 17. quo modo accipitur dicta lex 1. hoc titul. de illa nunciatione, quæ ut inutilis remittitur à Prætoris, ut ait Duarenus in l. 2. hoc titul. verum tunc fortius objicies, Ulpian. in d. l. 1. docere nunciationem valere, sive jure, sive injuriâ: ergo non potuit remitti nunciatio illa tanquam sine jure, quæ sine jure valet, ex sententia Ulpiani. Sed dicendum est, dupliciter sine jure opus nunciari: aut nunciatur aperte sine jure, & hoc casu nunciatio inutilis est; aut nunciatur sine jure, sed dubiè, ut nuncians jus aliquod habere videatur: quo casu nunciatio utilis est, ut docent Valentia, & Pichard. supra, Donel. lib. 15. comment. cap. 46. Unde sensus dictæ legis 1. est, nunciationem, quæ injuria fit, tamen à patientia bona tunc remitti; si ve hæcenus non remitti, quando prohibendi jus

non habuisse nunciatores constitit. Nec obstat quod dicebamus, publi. è interesse Ecclesias construi ac divina officia celebranda; nam id procedit dummodo inde præjudicium tertio non sequatur, ut in casu textus in cap. 1. 2. & 3. hujus tituli contingebat; nam tunc nova Ecclesia cum tertii præjudicio construi non debet. Nec obstat, quod dicebamus de interdicitis *uti possidetis*, & *quod vi, aut clam*: nam interdictum *uti possidetis*, requirit possessionis probationem, l. 1. & 2. ff. *uti possidetis*, §. *interdictum*, Inst. de interdicit. nunciatio autem novi operis solum exigit, ut probetur novum esse, & insolitum opus, quod sit, simulque nuncianti nocere. Deinde interdictum *uti possidetis*, judicis sententiam petit, nunciatio verò statim opus sistit, l. 1. §. *nunciatio*, l. de pupillo §. §. *si quis forte*, ff. hoc titul. & interdictum *quod vi aut clam*, in eo à nunciatione differt, quod interdictum illud ad opus jam perfectum pertinet, nunciatio autem non aliter locum habet, quam si opus cæptum perfectum sit, l. 3. in princip. ff. de mortuo inferendo, l. 1. §. 1. ff. hoc titul. quas & alias differentias prosequitur Ant. Gomez in l. 46. Tauri, num. 22. Nec tandem obstat, quod de satisfactionis oblatione dicebamus; nam licet olim satisfactione præstita, vel oblata, reus possit cæptum ædificium consummare, quia plerumque in proprio solo ædificanti valde injuriosum, & damnosum erat, si jam paratis, & asportatis lignis, conductisque fabricis opus sisteretur; tamen novo jure legis unice, Cod. hoc titul. quod sequenti fuerunt Honorius III. & Gregorius IX. in c. penult. & final. hoc titul. statutum est, ut nuntiator novi operis non compellatur infra tres menses satisfactionem accipere, sed infra illud tempus causam dirimere judices curent, & opus cesset. Consonat lex 9. titul. 32. partit. 3. Sed adhuc juxta eam constitutionem, & jus antiquum tres casus sunt distinguendi. Primus est cum ædificans offert satisfactionem, & nuntiator eam recipit: quo casu juxta jus antiquum ædificium perfici potest, non expectato trium mensium spatio. Secundus est in quo nuntiator non vult satisfactionem admittere, nec offert se ad probationem alicujus juris, quod impedire possit opus; & in hoc etiam casu ille, cui nunciatum est, poterit statim ædificare, quia malitiosè, & causâ vexandi adversarium nunciasse videtur. Tertius est, quando nuntiator cum satisfactionem non admittit, vult tamen probare causam, quam sibi afferit competere ad opus novum impediendum, in quo locum habet nova decisio textus in d. l. unice. approbata in cap. penult. & final. hoc titul. ut trium mensium spatium præstetur, intra quod ab ædificio superfedatur. Illo autem elapso, si nondum lis decisa fuerit, præstita satisfactione ædificium perfici valeat, etsi controversia nondum decisa fuerit: docuerunt Azor in summa, ad tit. C. de edific. privatis, Gomez in l. 36. Tauri, num. 34. Valentia d. lib. 1. cap. ult.